1517 d. 26. Julii

Sigismundus Primus Rex Poloniæ
Valtero Magistro Cruciferor. in Livonia —

145

Mgfce Dne amice, sincere Nobis Dilecte —
Accepimus Litteras mgficentiæ tuæ, quibus nobis scribit se ad nos Oratores suos, in communibus rebus necessariis mittere, quos libenter videbimus. Scribit etiam postulans, ut committeremus Mgfco Nicolao Radziwilowicz Palatino Vilnen. et Cancellario Magni Ducatus Litt. quo res ablatæ subditis Mgfcentiæ tuæ, conservarentur ad arbitramentum, et decisionem mutuam. Quod fecimus. Verũ et tua mgficentia mandet subditis suis, ut similiter ea, quæ nostris abstulerunt, ad ipsam decisionem mutuam conservent. ut unicuique id quod suum est, restituatur. Valeat feliciter mgficentia tua — Datũ Vilnæ Feria Tercia, proxima post Festũ Sti Jacobi Apostoli — A. 1517.